

Eusebius Graecus an. II mens. I d. XXV, sepultus via Appia.

Iste constituit, ut quicumque pro qualibet calumnia ante auditionem exspoliatus fuerit, prius quaecumque ablata sunt, restituantur et eis pro indulto temporis spatio audiat. Ann. CCCIX ind. XII

Miltiades offer an. III mens. VII d. VIII, sepultus via Appia. Iste constituit, ut quinta feria nullus fidelis ieiunaret neque die dominico. Ann. CCCXI ind. XIV.

Silvester Romanus an. XXIII, sepultus via Salaria. Iste constituit, ut nullus laicus audeat crimen inferre clerico, et nullus clericus propter quaecumque causam intret in curiam nec ante iudicem causam dicat nisi in ecclesia, et sacrificium alteris non sine linteis celebrari, chrisma ab episcopo confici et baptizatum liniat presbyter. Constantinus imperator fit christianus. Sancta synodus Nicæna celebratur. Indict. III.

Marcus Romanus an. II mens. VIII d. XX, sepultus via Appia.

Iste constituit, ut episcopus Ostiae, qui consecrat episcopos Urbis, pallio uteretur. Indict. XII.

Julius Romanus an. VI mens. II d. VI, sepultus via Aurelia.

Iste constituit, ut nullus aliquem damnare praesumat vel indicare, antequam accusatores praesentes sint et accusatus locum defendendi habeat ad abluenda crimina. Indict. XV.

Liberius Italicus an. X mens. VII dies III, sepultus in via Salaria. Indict. XII.